



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm
Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei
mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda,
tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones
humanas iuxta ...

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1658

III. An fides necessaria sit ad salutem neceßitate medij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38954

SECTIO III.

*An fides necessaria sit ad salutem
necessitate medijs.*

Licet quidam Doctores, ut Andreas Vega, & Dominicus à Soto existimauerint fidem esse tantum necessariam ratione præcepti diuini, ac proinde illos, qui mysteriorum per eam credendorum ignorantia inuincibiliter laborant, si tamen aliunde secundum reclam rationem vivant, & Deum ut authorem naturæ cognoseant & audent, posse nihilominus salutem consequi.

Contraria tamen sententia communis est inter Theologos, ac proinde ut certa tenenda est, prout in sequenti assertione declarabitur.

Dicendum est igitur, actum fidei supernaturalis esse ad salutem necessarium necessitate non tantum præcepti, sed etiam medijs, ita ut nullus adultus possit sine tali actu iustificari: probatur primò ex Apostolo, in epistola ad Hebreos cap. II. vbi dicit, quod *sine fide impossibile est placere Deo;* quæ verba non nisi de medijs necessitate intelligi possunt, cum omnem possibiliter placendi Deo excludant, nisi per fidem tanquam per medium absolute necessarium.

Probatur secundo ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi, postquam dixit baptisnum esse Sacramentum fidei, addit: *Sine qua nulli unquam contigit iustificatio, & capite octavo: Fides est humanae salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis: sine qua impossibile est placere Deo,* & ad filiorum eius consortium peruenire: quæ verba Concilium desumpsit ex sancto August. serm. 38. de tempore, vbi & hæc, quæ sequuntur, addit: *Sine fide nullus in hoc saculo iustificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam posidebit aeternam.*

Obijcies mu'tos fuisse olim, & hodie adhuc esse infideles, in varijs mundi partibus, qui de Christo & Euangeliō nihil prorsus audiçrint, emniaque fidei mysteria inuincibilitez

biliter ignorauerint, & adhuc ignorent, quibus proinde ad consequendam salutem sufficere videtur, ut Deum, prout possunt, cognoscant, & super omnia diligent, cum aliud praestare non possint, & ad impossibile nemo teneatur. Respondetur ignorantiam illam in predictis infidelibus vincibilem esse, si non proximè & immediatè, saltem remotè & mediatè, in quantum scilicet sufficiens diuinæ gratiæ auxilium ipsis offertur ad legem naturæ seruandam (ut ex tractatu de Gratia supponimus) cui si fideliter cooperentur, ipsamque naturæ legem seruent, Deus pro sua ineffabili bonitate vberiora illis gratiæ suæ præstabit auxilia, & alia media externa necessaria præparabit, quibus tandem ad fidem recipiendam sufficienter disponentur. Id colligi potest ex capite primo Euangeli S. Ioannis, vbi dicitur, quod Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc est (ut explicat S. Chrysostomus in eum locum) quod Deus, quantum in ipso est, illuminat omnem hominem, si qui non illuminantur, ideo non illuminantur, quia lumen oblatum recipere nolunt: ita etiam sentit S. Basil. in regulis breuioribus regul. 224. & S. Thom. quest. 14. de veritate, art. II. ad 1. vbi agit de parvulo infante, qui in medijs syluis procul à coetu & commercio Christianorum educaretur, dicitque certissime tenendum esse, quod si rationis naturalis ductum sequeretur, Deus ei vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ credenda sunt, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit S. Petrum ad Cornelium Actor. 10.

SECTIO IV.

*An sit ad salutem necessarium explicitam mysteriorum aliquorum fidem habere,
& quorum.*

Deo certa sunt, primum est, omnes Christianos adultos ad credenda omnia & singula mysteria generaliter su-

A 4

de